



colorchecker CLASSIC




x-rite




ST<sup>E</sup> MARGVER  
REYNE  
DECOSSSE

1490









Contenu En ce Volume

- 1 La Vie de St. Marguerite reine d'Écote  
2-5 Plusieurs piéces concernant la Vérité et l'Étran-  
-geté de sa Vie d'Écote  
6 Relatione del padre Hilario Martin  
7 Processi fatti per la Canonizatione et le canonij hault  
8 La Conformité de la messe a la passion du Sauveur  
10 Lo Sudio panegirico sacro sopra La S. Sindone  
11 De sacra Sinodorum Utilitate Oratio 1623  
12 Discours du P. Chapelain 1672 pour les priéres publiques  
13 Lettre des Cardinaux du Conclave en 1691  
14 Relatione della morte di Innocentio X.  
16 Delibro Grotij aduersus Socinum 1617.  
17 Lettres du roy aux princes et eueq. du P. Empire  
18 Libro di Nouvelle et di belgiustare Gentile 1572



57399

*[Faint, mostly illegible handwritten text, possibly in a historical script, with a large irregular hole in the upper left section.]*

*[Handwritten signature or initials, possibly 'A. P. 1711']*

*[A small handwritten mark or symbol, possibly a cross or a stylized letter.]*



40<sup>e</sup>  
DE SAC. SYNODORVM UTILITATE

O R A T I O

Quam Archipresbiter Vartiensis

AVRELIVS VALERIVS

I.V.D. Prothonotarius Apost. habuit.

*In Diœcesanis Comitijs Dertbone proxime celebratis.*

Ab Illust.<sup>mo</sup> & Reuer.<sup>mo</sup> D.D.

PAVLO ARESIO

eiufdem Ciuitatis Episcopo  
vigilantissimo.



DERTHONÆ,  
Ex Typographia Nicolai Viola. 1623.

*Superiorum permissu.*

DE SAC. SYNODORVM VILITATE

O R A T I O

Quintus Imperator V. etc.

AVRILLIVS VALERIVS

AVRILLIVS VALERIVS

AVRILLIVS VALERIVS

AVRILLIVS VALERIVS


PAVLVS



PAVLVS

PAVLVS

PAVLVS



PAVLVS

PAVLVS





mo

mo

Illustriss. & Reuerendiss. D.D.

MARIO BOVIO

Sanctiss. D. N. Papæ

Cubiculario, ac secreto

Eccemosynario:



Aurelius Valerius K. C. Archipresbyter Vartij

F. P. P.



*IBI (Illustrissime BOVI) Heroi Ec-  
clesiæ Religiosissimo hac, qua de religiosis  
Synodalibus Comitijis Derthona apud eius  
Episcopum PAVLVM ARESIVM  
Prasulem Illustrissimum habita à me fuit*

*Oratio debetur integra, qua, & partes sua religionis pro-  
bet, & eius Auctoris animum summo religionis exactori  
demonstret. Ea est, qua dum Romæ agerem, ab Ampli-  
tudine tua, aliquando pro tua singulari humanitate exceptus,*

*A 2 excelsæ*

excelsa dignitati tua obseruantia, & reuerentia mea au-  
 thoramentum exhibita, edita demum prodie. Accipe, He-  
 ros Illustrissime, & exigua hac demonstratione contentus,  
 que a virium mearum imbecillitate non surgunt, ab ani-  
 mo repete meo, qui exigua respuit, & magna perdit, ut  
 maxima saluat, cui totum debetur. Vale, & me clemen-  
 tia, ac benignitati tue comendatum suscipe, & fove.  
 Vartij Pridie Cal. Iunij M. DC. XXIII.

Sanctiss. D. N. P. p. p.


Cupidulatio, ac leccio  
 Ectomolynatio:

Aurelius Valerius I. C. Archiepiscopus Vartij  
 P. P. P.

IBI (Illustrissime P. P. P.) Huius E-  
 clestie Religio, ac hoc, que de religio-  
 nis Synodibus Comitiis, Decretis, &  
 Episcopum FAVLVM ARSENI-  
 Presbitero Illustrissimus debita a me  
 Ratio habetur integra, que & patet sua religio-  
 nis, & eius habet auctoritatem, in hunc religionis ex-  
 ditionem. Ea est, que hunc Romanum, ad  
 totum in, & hunc pro sua singulari auctoritate  
 A. 2. excelsa







# ORATIO.



Acta hodierna conuocata Comitia ;  
 Ecclesiastici Ord. hic indictus Con-  
 uentus, Synodalis hec Congregatio  
 sancta; siue loci, qui Deo dicatus est,  
 auctoritatem simul, & magnitudi-  
 nem spectemus; siue sapientiam, & prudentiam  
 Patrum Capitularium consideremus; siue religio-  
 forum virorum integrum cetum, ex tota, eaque  
 apprime ampla Derthonensi Diocesi vocatum in-  
 spiciamus; siue rerum pertractandarum, ac oratio-  
 nis materiam cogitemus; siue demum tanti Præ-  
 sulis, Pastoris, & Parentis nostri verè clementissimi  
 conspectum intueamur; Equidem non nisi maxi-  
 ma, & summa comitia, sacer, & sanctus Conuen-  
 tus, cœlestis, & propè diuinus Synodalis consensus  
 diiudicabitur: In quo mihi propterea, & utilius,  
 & decentius esset, Auditores, infirmis vtrisque; viri-  
 bus meis perspectis silentio vti, quàm iisdè fortas-  
 se temerè arrogatis, in Templo augustissimo, con-



ram sapientissimis Patribus, ad sacros viros, ad  
 animarum custodes, ad Ecclesiasticum Ordinem,  
 de rebus quàm maxime summis, in præsentia Reli-  
 giosissimi Episcopi nostri verbis abuti, quæ enim  
 singula hominibus ed dicendum accedentibus ti-  
 morem facere consueverunt, ea mihi hodierno die  
 se se obijciunt vniuersa: Cùm autem vltro impu-  
 denter accurrere, aut me me inferre, atque intrude-  
 re, vel irrumperere ad dicendum non sim ausus, sed  
 vocatus, iussus, & verius impulsus accesserim, ea  
 singula ipsa, & reliqua simul, quæ me à dicendi  
 munere detertere possent, inuocabo, vt, & loci au-  
 ctoritas meam exiguitatem, Ecclesiasticorum con-  
 fluentium concursus meos deflectus, Patrum sa-  
 pientia ignorantiam meam, Orationis grauitas,  
 Oratoris imbecillitatem suppleat, & clarissima si-  
 mul, ac iucundissima Præsulis præsentia attras in-  
 tellectus mei, mentisq; caligines tua luce depellat,  
 & eam reddat claritatem, quæ ad Synodorum ne-  
 cessitatem, & vtilitatem demonstrandam, quod  
 munus est præsens, vobis ad percipiendum, mihi  
 verò ad dicendum desideratur. Tu verò Illustrissi-  
 me, & Reuerendissime Præsul, si videris orationem  
 meam fluctuare nonnunquam, & de suo cursu de-  
 pullam temerè iactari, feres æquo animo pro tuâ  
 singulari humanitate, & veniam infirmitati dabis,  
 idq; totum partim magnitudini, & obcuritati re-



rum adscribes, partim ipsi tibi, cuius ista maiestas tanta, & potestas diuinitus tradita, & concessa facit, vt etiam si tuo humanissimo conspectu mirandum in modum recreemur, tamen ne gaudere quidem sine aliquo timore possimus.

Ea est rerum humanarum conditio, vt hinc exordiamur, Auditores hominumq; ipsorum naturalis propensio, scire verius ab externis obiectis, animi voluptuosa attractio, vt si quid eis, vel ad eorum affectus comprimendos, & refrenandos, vel ad rationis, & salutis finem præscriptum attingendum, ordinetur, illius omnem demandatam obseruationem, currente tempore, aut respuant omnino, aut ab ea ita declinent, vt dissuadentibus potissimum mundi oblectamentis, membrorum lege repugnante, & Demonis alitu accedente, vix formam regularum demandatarum cernas, & apud aliquos tarda obseruationis vestigia, nedum apud omnes necessariam ordinatam custodiam: Vnde cum aliquibus quasi ponderibus humanum genus depresso, & ad imum vsque detrusum videretur, animorumq; motus per confectas mandatorum rotas in conditorem suum dirigendos defecisse, iisdem ponderibus solo iam adherentibus, necesse fuit per leges per canones per decreta, constitutiones, Synodos, & Concilia, eadem pondera subleuare, vt renouata præceptorum obseruantia, quasi



citato rotarum motu, ad instar horologij, ad cur-  
 sum rationis, ad viam salutis, ad æternum beatitu-  
 dinis finem, relicta perditionis via, reuocare. Per-  
 quiramus, si placet, statum ipsum Nature, legis, &  
 gratiæ, & sumamus initium ab ipso condito, & or-  
 nato mundo, quando scilicet Adamus humani ge-  
 neris Princeps in amœnissimis hortis diuina manu  
 confitis collocatus, non tam vetiti pomi specie,  
 quam illecebra inductus vxoris diuinam legem  
 neglexit, non ne vocatus cum Deo fuit conditore  
 suo, & a beatis hortis pœnam exilij passus, vt resti-  
 tueretur à lapsu, & futura posteritas, quam secum  
 in eundem traxerat casum, simul subleuaretur, de  
 terra aratro proscendenda, de seminibus iactandis,  
 de pane sudore parando, de morte subeunda diui-  
 num editum edictum fuit? quo non transgressio-  
 nis pœnas tantùm Adamus lueret, sed à quo etiam  
 iterùm erigeretur, & homo primus, si delitijs hor-  
 torum, Dei scilicet amore, in bono non contineba-  
 tur, timore positę legis à molo cohiberetur. Quan-  
 do item mortales tunc mortis obliti vitę longitu-  
 dine abuti cœperunt, & in externos lapsi mores,  
 omnibus pudoris, & officij repagulis perfractis fla-  
 grabai ibique libido, non Deus perpetuis quadra-  
 ginta dierum imbribus terram omnem eluione  
 restinxit, vt Noes vir bonus cum familia superstes  
 aquis tantis purgata labe, à castigatione exemplum  
 summens



lummens; & legem, posteros ex se futuros doceret; non voluptati indulgendum, non sensui, non demoni obsequendum, non mundo, non terrenis affectibus deprimi non amore; sed huiusmodi exemplis, quasi legibus erecti, in Deum dominum, & conditorem nostrum sensus, affectus, animos, cor, & corpus cum viribus ipsis recondendum. Nemrotum Chami nepotem summæ altitudinis Turrim, siue ad inundationis perfugium, siue conueniendi monumenium excitantem deiecit Deus, & superbis mortalium, conatibus diuinum obstetit numen, vna enim lingua, qua tum utebantur omnes, in duas, & septuaginta diuinitus dispersita, sublato sermonis comertio, abiecta est ædificatio, vt qui se se per immentam altitudinis molem extollerent, confusi liuguis, Babelles appellati, deprimerentur, & sibi legem ex casu facerent, ac timere dedicerent. Instruebat quippe Deus opt. max. humanum genus, & quos septos non continebat à natura suggesta iustitia, eosdem ea ipsa deterreret è Cælo demissa. Sed diuina bonitas summa, quæ post diluuij aquas irridem ad fœdus fixit in astris, strictiori ratione cum hominibus non est vsa: At Melchisedecum Sacerdotem sacrificia offerentē, Abramum decumas persoluentem, Isaacum obedientem, Iacobum cœlestia videntem, Iosephum prouidentem; Patres totius æui primatus, & patriarchas saculo



sæculo dedit, qui iusti, & perfecti, ac propè cœlestis  
 viri typum præferentes, cæteros suis exemplis in-  
 formarent, & ad Dei monitum præputia circoncidi-  
 dentes, omnes simul ad diuinam vitam, ad rectum  
 iustitiæ tramitem, ad cœlestem disciplinam hac  
 operante traducerent. Non defuerunt hac eadem  
 ætate viri natura apprimè illustres, qui licet à veri-  
 tate aberrantes, & veri Dei cultum ignorantes, ad  
 simulacra se conferrent, populos tamen legibus, &  
 disciplina retinendos esse censentes in eorum edu-  
 cationem, & curam integris viribus, affectu pater-  
 no eos dixeritis incubuisse, quos si audire vobis non  
 est graue, recensere non erit inutile. Hæbreorum  
 parenti Abramo suppar fuit Iouis Rex Cretæ, qui  
 propter paternam in populos charitatem apud  
 stultam antiquitatem Deus est habitus. Isaaci verò  
 æqualis fuit Inacus Argiuerum Rex primus, cuius  
 filius Phoroneus vagos homines, ac dispersos in  
 vnum coegisse locum, ac mœnibus, legibusque se-  
 pfisse memoratur à Grecis. In Iacobi ætatem præ-  
 cipua illa Græciæ Numina inciderunt, Apollo,  
 Mars, Vulcanus, Venus, & Minerva, quæ populor-  
 um custodiam non detrectantes, eò vique pietatis  
 opinione creuerunt, vt non terreni, & de terra ho-  
 mines, sed cœlestes viri de cœlo demissi crederen-  
 tur. Iosephi verò æqualis fuit Spartus Phoronei fi-  
 lius, qui Spartum condidit, & Argus eius ne-  
 pos



pos, is qui ob incredibilem prudentiam centoculus est dictus; quos omnes si intueamur, quis non eos ad populos erudiendos, ad disciplinæ viam docendam, ad virtutis iter demonstrandum diuinitus esse destinatos inficiabitur? Necessariæ erant leges, quibus homines à malo prohiberentur; Necessarij præceptores, qui eas traderent; Necessarium consilium quo custodirentur; & his omnibus non defuit Deus aliquando; sed post memoratos sanctitatis, & sapientiæ Patres, Moysem in difficilimo Iſraelitarum tempore natum, à Pharaonis filia educatum, & ægyptijs litteris excultum ad sinam montem Deus ipse vocauit, & leges (ò admirabilem Dei in homines prouidentiam) non à casibus, non ab exemplis, non à successibus desumptas, non manu, aut intellectu humano formatas, sed ab inscrutabilibus, & immensis Diu. sapientiæ, & scientiæ lucæ thesauris exhaustas, eidem Moyſi, suis eisdem manibus, quibus hominem de limo creauerat, ad eundem erudiendum, & continendum lapide sculptas consignauit, vt qui fragilis post creationem extiterat terrenus, fortis post eruditionem permaneret lapideus. Quid plura quæritis Audit? Quæ maiora huius necessitatis arguméta desideratis? Quando Deus ipse mundi creator, conseruator, & rector leges è Cælo duxerit esse tradendas? Quis ex nobis erit, qui sacris legibus ipsis, toto animo, summis viribus



viribus potius, vt par est obtemperandum, quàm  
 vterius aliquid aliud de necessitate indagandum  
 non affirmabit? Iudices fortasse desideratis pro  
 legibus custodiendis datos? Accipite post Ducem  
 Iosuem à Moysè Othonielem, Gedeonem, Iephem,  
 Sanlonem, & Samuelem, qui hebreorum populum  
 per mandatorum custodiam traduentes, & secun-  
 dum leges iudicantes, eundem ad destinatum, &  
 suis maioribus à Deo promissam sedem perduxerunt.  
 Extiterunt, & Reges Samuel, Saul, David,  
 Salomon, Roboas, Abias, Asà, Ezechias, & cæteri,  
 qui cum regno regium etiam accipientes animum,  
 hebreos ad eiusdem legis obseruantiam direxerunt:  
 fuerunt Prophetæ, & legis doctores, viri scilicet  
 excellentes, atque diuini, qui à Deo eorum aman-  
 tissimo magni muneris, & beneficii loco scriptas  
 leges accipientes, omnem curam, omne studium,  
 vniuersos eorum conatus, in illis præcipuè custo-  
 diendis impenderunt. Sed tantum iam, Auditores,  
 ad id quod summum, quod excelsum, quod admi-  
 rabile fuit, & in singulis sæculis perpetua prædica-  
 tione, & laudatione commendandum accedamus.  
 Cùm obscurius, rectiusque sacra illa legum do-  
 ctrina, quàm humana mens capere posset, trade-  
 retur, & homines ijdem non æque satis exculti,  
 recta qua debebant, non incederent via, voluit in-  
 finita illa diuina bonitas, illa immensa charitas,  
 vnige-



unigenam filium suum, è sinu suo tanquam in-  
 ternuntium, & interpretem ad nos mittere, qui  
 cum via esset, veritas, & vita, absque vlla circuitio-  
 ne verborum, & anfractu dilucidè, & aperrè enar-  
 raret. Tua nos, maximè Deus, tam grata, & iu-  
 cunda recreati luce, in tanta inscientiæ caligine,  
 tuam non solùm omni oratione, verum etiam co-  
 gitatione superiorem liberalitatem, & beneficen-  
 tiam, te adiuuante prædicabimus, exornabimus,  
 offeremus in omni vita, si minus vt est merita de  
 nobis, certè quantum imbecillitas nostra patietur.  
 Dei filium Audit. (ò rem admirabilem) ducem,  
 præceptorè, redemptorem habemus. Summite hinc  
 propositiæ necessitatis argumentum, & hac demon-  
 stratione contenti, diuinam potius in hominum  
 genus immensam charitatem commendate,  
 quàm vltioribus locis ad deiectionem humanæ  
 imbecillitatis aspiciendam accedatis. Iacebamus  
 in tenebris, ac vinculis mortis obstrictos demonis  
 nos occupabat perfidia, vt mortalis natura nostra,  
 atque huius mundi infimus locus sua instabilitate  
 percurrens, in eam iam peruenisset ætatem, ac eò  
 præcipientes homines irruissent, vt non magistrorum  
 inopia magis, quàm incuria, paulatim disciplina  
 labente, non à legibus discessisse tantum, sed leges  
 post habuisse viderentur. iamq; salutis, & honesta-  
 tatis immemores, quid quid liberet, aut expediret,  
 fermè



fermè etiam licere crederent: oritur itaque nobis  
 diuinum illud lumen, sol ille refulgens, ac splen-  
 dor paternæ gloriæ Dei filius, qui è cœlo missus, ex  
 MARIA Virgine genitus, piaculum cœlestis iræ,  
 magister, ac vindex humani generis, sua prædica-  
 tione, & miraculis, Christiana lege suauitatis, &  
 charitatis plena, sanctissimis oraculis euulgata, ho-  
 mines erudiuit, ac annos natus triginta tres à Iudeis  
 in Crucem actus, scelus humanum luit, Sathanæ  
 regnantis imperium euertit, libertatem restituit,  
 ac viam in Cœlum hominibus muuiuit. O cæcos  
 in media luce homines, ò suorum ignaros bono-  
 rum; Cùm Deus opt. max. fons, & origo omnis  
 potentiæ, & amoris, eorum causa è Cœlo demissus,  
 omnem suum amorem, si fas est dicere, potest atq;  
 consumpserit. Cùm hic tanta vis insit, quæ nos de-  
 icit infirmitas? Cùm tantus ignis ardeat, quid fri-  
 gora metuimus? Si nos ista virtus non corrobo-  
 rat, quæ speramus adiumenta? Si nos flamma ista  
 non vrit, quos ignes expectamus? Si hoc immenso,  
 & diuino subsidio non subleuamur, quibus auxi-  
 lijs de terrenis ponderibus erigemur? Si lex sancta  
 non instruit ab æterna sapientia emanata, simul, &  
 delectat ab amantissimo parente profecta, quæ nos  
 docebit, vel nobis placebit alia in humanis, & ab  
 hominibus edita? Hæc est, Audit. quæ nos à pec-  
 catorum sordibus, & cæno, in quibus volutaba-  
 mur,



mur, purgauit; quæ à supplicij æterni reatu absoluit, quæ sempiterno patri conciliauit; quæ à morte liberauit, quæ à demonis potestate eripuit; quæ æterna vita donauit: Hæc est, quam liberator noster Christus voluit, non modo, vt se hominem homines sequeremur, verum etiam vt mentes humili stratas, & abiectas erigeremus, ac altius ad illam magnitudinem diuinam excitaremus, & in nostris animis imaginem quamdam diuinorum misteriorum moribus, non secus atque coloribus, exprimerem, vt quemadmodum Hypostases diuinæ sunt idem, sic nos etiam quodammodo cum eis vnum, & idem essemus. Magna certè res ad cogitandum, non omnino facilis, difficilius ad dicendum, ad vitam beatam necessaria, ignota iam nemini, propè omnibus neglecta, quæ quantò maiorem cælestium bonorum copiam parit retenta, & culta, tantò grauiores, & atrociores calamitates in hominum vitam effundit spreta, & repudiata. Post Christum, ad Discipulos accedamus, ad eos scilicet, quos vnos ex omni hominum numero magistros omnium gentium, rerû abstrusarum, & à cõi hominû sensu abhorrentium doctores, Principes Ecclesiæ, Duces veritatis, diuinarum legum interpretæ, humanæ vitæ moderatores, lumina orbis terre delegit Deus. Illi, qui eundem Dei filium humana specie, & figura inter homines versantem, multasq; res nouas, &

mirabiles



mirabiles patrantem adspexerunt, verba facientem audierunt, totam Palestinam pedibus peragranti sequuti sunt, cum eo vixerunt, vna cibum ceperunt, vna fuerunt, sæpè collocuti sunt. Illi qui admirabili plane, & diuina ratione numero duodecim homines rudes, & imperiti mundum vniuersum excultum, & ad veram pietatem traductum, Christi fide imbuerunt. Hos Deus ipse elegit, & tanquam Ecclesiæ fundamenta poluit, vt Petro suo in terris Vicario relicto, quasi huius Ecclesiastici ædificij iacta petra, cæteris superaditis, surgeret Christiana fides, ac orbis totus post eos exemplis, & doctrina traductus legem reciperet gratiæ, qua, & reuocaretur a malo, & firmaretur in bono; subleuaretur ab imo, erigeretur ad summum; solueretur à iugo, induceretur ad libertatem; auferetur a demone, restitueretur Deo; tolleretur e mundo, duceretur in Cælum, & qui sensibus adherebat, atque eam sequebatur gloriam, cuius aut arbitra plerumq; fortuna, aut particeps esset improbitas, eam rationem amplecteretur, quæ à Deo homini insita, eidem Deo hominem quamsimilimum facit. Conueniunt sacratissimi Principes, & futuræ predicationis breue indicium, conferendo in vnum, quod quisq; sentiebat, componunt, atq; credentibus hanc dandam esse regulam statuunt, quod symbolum vocant, vt intelligeretur, etiam in rebus fidei, homi-



nes natura inconstantes solis legibus, & regulis re-  
 tineri. Doecebant eadem illa, quæ ab ipso sapientiæ  
 fonte, Christi scilicet magistri ore exhausta, & co-  
 rum ad Apostolatus apicem electionem, & gen-  
 tium ad veritatem vocationem operabantur. Præ-  
 erant assiduè nascentis Ecclesiæ primordijs, in  
 illius curam totis viribus incumbabant; inuigila-  
 bant animo, custodiebant consilio, fouebant auxi-  
 lio, & prudentiam simul cum simplicitate miscen-  
 do, eandem Ecclesiam ita regebant, vt tanquam  
 ager bene subactus, & excultus fructus ferret non  
 zizanijs refertos, sed in iacto semine puros. Opus  
 autem hoc ipsum crebris visitationibus, ac quoti-  
 dianis exhortationibus nutriebant, præcipuè au-  
 tem si quid inurgebat, quod vel Euangelicæ veri-  
 tati aduersaretur, vel non ita ad canones traditæ fi-  
 dei, & Christianæ veritatis custodiretur, necessarias  
 ducebant Synodos, sacrorum scilicet virorum con-  
 uentum, in quibus sæpius hinc inde veritate discus-  
 sa, prolatis sententijs, & eadem magis elucesceret,  
 & excitati erroris obscuritas à nouo Christianorum  
 foetu fugaretur, vt initium surgentis Catholicæ fi-  
 delitatis in ea firmaretur simplicitate, quæ ab erro-  
 ribus pura, certum præferret salutis iter, & viam  
 pararet ad vitam. Habita hinc fuit prima Hieroso-  
 lymis Synodus, in qua de cessatione legalium, &  
 iugo circumcissionis tollendo actum, etiam per le-



gatos Iudam, & Silam ad Ecclesias rescribendum esse statuerunt. Hæresis etiam illa prima simoniacorum in Simone Mago tentante pecunia emere potestatem dandi spiritum sanctum, à Beato Apostolorum Principe confutatur, vt intelligeretur, Petri, & successorum esse, hæreses sua auctoritate damnare. Hic Simon post discessum Apostolorum spreto consilio Petri pœnitentiam suadentis, plurimarum, & nefandorum inuentor heresum, multos habuit, tum viuens, tum post mortem sectatores, Menandrum, Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cherintum, Ebionem, Cedonem, & Marcionem, quos omnes, quorumque fœtidum virus e stigio lacu demone propinante exhaustum in Ecclesiam tunc nascentem euomitum, totæ Synodorum, & Conciliorum celebrationes restinguere, & exsiccare valuerunt, vt nedum vndis furere, aut vorricibus feruere permissum, sed aquis fluere etiam prohibitum, aliquo incremento facto, agrum Ecclesiæ de recenti subactum, non inundaret. Vix Christiana claritas, & Ecclesiastica veritas aliquo surgentium falsitatum fumo infernalis ignis obscutari, aut infici obseruabatur quin statim ad Synodos, ad Concilia per sapientissimos, & prudentissimos illos Patres eiusdem Ecclesiæ cultores recurreretur, vt in vnum simul conuenientibus, Spiritus sancti lumine illustrata, & eius aura suauiflante



flante ab errorum nigredine præseruata Ecclesia, eandem sponso suo Christo, qui sanguine lauit, sine macula, sine ruga omni ex parte pulcram exhiberent. Videbant cœlestes viri, nihil esse in Ecclesia posse, aut turpitudine fœdius, aut homini perniciosius, aut in Deum grauius, atque atrocius animi labe, & hæresum peste, quæ licet ecclesiasticum ædificium ipsius innocentissimi Agni cœlestis morte fundatum, eorum neque scelere obruere, neque perfidia superare posset, ita tamen eorum integra charitas, pietasq; cum hæreticorum hominum impietate contendebat, vt si vel cum sanguine, vel eum cede vincere opportuisset, vtrumq; libentius præstassent, quam Ecclesiam dereliquissent. Fidi fortes, constantes, magnanimique Heroes animo repetebant, eò homines sua infania aliàs protupisse, vt effractis humani, diuiniq; iuris repagulis, præditis, ac desperatis rebus, contaminata terrarum facie, in Cœlum vsq; penetrasse, Deum in mundū traxisse, ad mortem duxisse, immanissime trucidasse, & ne clementia, ac bonitate abuteretur illius, qui hæc vidit, qui tulit, qui sponte, qui vltro, qui libenter tot cruciatibus, ac tormentis, vt à nobis illa depelleret, caput obiecit, qui tam vberem malorum, & exitij materiam, in spem bonorū, salutisq; conuertit, in Concilijs proclamabant, publicè arguebant, & vesanis inferrorum hominum menda-



cijs, quibus nascentem Ecclesiam agitare contem-  
 debant, totis viribus resistendum diiudicantes,  
 Christi seruatoris nostri patientiam, mansuetudi-  
 nem, charitatem declarabant, hunc eundem in  
 Cruce actum, in oculis barbarorum, in luce om-  
 nium gentium, ac nationum, inter latrones pen-  
 dentem prædicabant. Quod si Apostoli ipsi Sancti  
 spiritus igne inflammati non alio tutiori, aut vali-  
 diori remedio ad hæreses euertendas, ad populos  
 ad Christum conuertendos, ad eodem in Christia-  
 na disciplina firmandos, vti oportere existimaru-  
 in ipsis surgentis Ecclesiæ incunabulis, quod nam  
 aliud deligerent successoris Ecclesia iam propaga-  
 ta, & fide ad integrum orbem delata? hoc ipsum  
 certè Audit. cœleste Pharmacum, quod pro sanan-  
 dis ab hæresibus animis, pro fidei puritate conser-  
 uanda, pro Ecclesia custodienda summi sæpissime  
 debet, & in singulis annis debita consideratione di-  
 gestum, quos reperit infirmos, sanitati restituat,  
 quos sanos inuenit, in sanitate confirmet. Ita qui-  
 dem omni æuo ab Ecclesia fundata ad hæc vsque  
 tempora in toto terrarum orbe seruatum legimus:  
 Ea siquidem fuit semper Conciliorum, & Synodo-  
 rum necessitas, vt non nisi sæpius repetito illorum  
 vsu, Christianorum ordo vix in ordine suo conti-  
 neri potuerit, dum enim à religiosissimis viris cum  
 studio opera datur, vt in Ecclesia nulla esset de reli-  
 gione



gione dissensio, nulla discrepantia voluntatum, nullum diffidium morum, atq; vitæ, amantes quidam homunciones furore instincti, turbulentis, ac seditiosis clamoribus Reipublice Christianæ partes, tanquam eius corporis membra distrahere contendebant. Percurrite Orbem, & singulas eius partes respicite, Orientem, Occasum, Austrum, & Borream, non in quattuor has tantum, sed singulas in plures, vt ab ordine discessum indicent, inuenietis. Oriens efflauit Simonem, Menandrum, Valentinum, Manem, & alios, qui à veritate aberrantes, non ordinem tantum peruertere, sed omnia in Ecclesia inuertere, ac quæ aliorum erant bona, honores, gloriam, dignitates sua heretica prauitate subripere, & sibi ipsis arrogare conabantur. Occidens cruciavit Priscilianum, Abaliardum, Vigilantium, & cæteros, qui à communi, & vëro sensu Ecclesiæ discrepantes, eam non diuidere modo, sed discerpere contendebant. Meridies Nouatum, Donatum, Pelagium, & reliquos euomuit, qui ex infectis, & putridis inferorum lacubus egredientes, in facilimis explicandis à recta veritatis semita grauitè oberrarunt, & in difficilimis enodandis spinosis sensibus omnia inuoluentes, augustissima sacrarum litterarum misteria detorsèrunt. Septentrio, quem pessimis abominationibus plenum respexit Ezechiel, prodidit Ioannem VViclephum



elephum, Ioannem Hussum, & foras dedit pesti-  
 lentissimos, & detestabilissimos Diaboli sectatores  
 Lutherum, & Calvinum, qui fanaticis scriptis, nu-  
 gis, ambagibus, & sicofantijs infensiora portenta,  
 hæresesq; in inferno iam sepultas turbulentissimis  
 concertationibus, opinionumq; varietatibus aper-  
 tissimam afferentibus insaniam, excitarunt. Fuit  
 consuetudo semper hereticorum consuetudini bo-  
 norum, & rectè sentientium contraria penitus, &  
 aduersa. Illi idem omnes loquebantur; hæretici  
 non solum alij ab alijs, verum etiam ipsi à se non-  
 nunquam vehementer dissentiebant. Illis erat Ec-  
 clesiæ concordia proposita, hæreticis nihil nisi dissi-  
 dia, & seditiones. Illi colligere dispersos, discrepan-  
 tes ad vnam reuocare sententiam, componere res  
 perturbatas, hæretici congregatos dissipare, con-  
 cordantes in multas dissimiles, ac inter se pugnan-  
 tes opiniones distrahere, sacra profanis miscere, &  
 conturbare nitentur. Impurissimi greges trans-  
 fugarum, qui magnos in Ecclesia tumultus, & dis-  
 scordias perniciosas concitarunt. Reipublicæ Chri-  
 stianæ pestes, quæ contrarijs erroribus diuisæ, ma-  
 gnas, nobilesque partes à toto corpore abscissas, ad  
 perniciem, & interitum abstraxerunt. Perpetuo  
 certè odio apud nos esse debent istæ bestiæ, quæ suis  
 falsitatibus populis deceptis, tam breui tot bella,  
 tam atrocia, tam calamitosa consistere potuerunt.



Vos ne igitur generis humani pēstes; Ecclesiæ fu-  
 riæ; faces patriæ; religionis hostes; sacrorum præ-  
 dones; labe, ac ruina orbis terræ; Vos inquam,  
 qui e stabularijs, & cerdonibus facti estis repente  
 populi magistri, & doctores, tanta eritis confiden-  
 tia, & audacia, ut spreta antiqua disciplina; sanctis-  
 simis Templis incensis effraetis, atq; prostratis pie-  
 tatis maiorum monumentis; pollutis religionibus;  
 cum omnia iura diuina, & humana incredibili sce-  
 dere uolaueritis; in illis ganearum tenebris cibo,  
 uinoq; confecti, eructetis sermonibus uestris cæ-  
 dem piorum, direptiones urbium, regnorum va-  
 stationes, & incendia? Magna immortalī Deo,  
 quem Rēpublicæ Christianę Principem, & custo-  
 dem uerè nominamus, habenda est gratia Audit,  
 quod post innumera, & prope infinita à Patribus in  
 Ecclesia habita Concilia, sacram œcumenicam  
 Tridentinam Synodum ad opem nobis in tantis  
 calamitatibus ferendam excitauit. Illa ad discu-  
 tiendas errorum nubes, & corrigendam morum  
 disciplinam disponit; Illa ad remedium malorum  
 accipiendum inuitat; Illa Euangelicam puritatem,  
 quæ a Deo tradita fuit, & ab Apostolis prædicata,  
 docet; Illa quæ ad mores, quæ ad vitam, quæ ad  
 fidem, quæ ad religionem sunt, ostendit; Illa pœ-  
 narum metu recusantes, & tergiversantes cohibet;  
 singularum Ecclesiarum Rectores ad suum munus  
 obcun-



obeundum impellit, & vniuersum Reipublicæ  
 christianæ corpus institutis, & decretis salutaribus  
 recreat, & confirmat. Præcipit hæc Sancta Syno-  
 dus in singulis quibusq; diocæsisibus annuam simi-  
 lem celebrari, apud Antistitem, & Pastorem suum  
 inferiores gregis custodes cum Sacerdotibus, &  
 Clero conuenire, ibi morbos, & infirmitates pro-  
 prias, & populorum detegere, medicinam quærere,  
 pharmaca sumere, salutem recipere. Edocebatur  
 quippe à Spiritu sancto, & in sacra eius aura congre-  
 gata obseruauerat sanctissimi huius instituti neces-  
 sitatem, & vtilitatem, appetitum scilicet frenari,  
 auaritiæ cestum restingui, elationis gloriam com-  
 primi, liuoris suggestiouem rescindi, furorem  
 ignis extingui, iudicij excelitate ad Dei penetralia  
 conscendi, contemplationis gradibus ad summa  
 religiosum erigi, fidei instructionem, morum ele-  
 gantiam, charitatis ardorem extolli, spiritus man-  
 suetudinem, baptismi puritatem, aliorum sacra-  
 mentorum efficaciam, Euangelij dulcedinem per-  
 petuò concelebrari, & propterea Christianorum  
 saluti studiosissime intenta, singulare hoc Ecclesiæ  
 confugium enixè sub præcepto proponit. Non  
 omitam referre Audit. quæ superioribus mensibus  
 dum Romæ fui Sanctorum Apostolorum limina  
 visitatum nomine Illustris. & Reuerendis. Episc.  
 nostri, & Domini à Sacr. Congregatione Concilij



de Synodo quotannis celebranda mihi fuerunt de-  
 mandata : Non satis rectè capiebant sacri Principes  
 illi, per octo, & eò amplius annos salutare hoc diui-  
 num institutum fuisse intermisum, & cessationis  
 causas perquirentes, cum vigilantissimum Prælu-  
 lem nostrum biennium tantum in hac Diœcesi  
 agentem intellexerunt, nihil de pastorali eius cura,  
 quam summis laboribus, & studio videbant solli-  
 citè impendi, anxij, illum debitis laudibus, vt par-  
 erat, extollendo, anteaçti, & decursi temporis ra-  
 tionem strictè exigebant, quam & si sub annuis  
 solitis huius Diœcesis propè proprijs confelsibus  
 reddere contendebam, vix admittebant certè, &  
 nihil magis cordi eis esse affirmabant, quàm Syno-  
 dorum in singulis annis debitã celebrationē : Et si  
 enim Cleri, & populi Derth. inculpabiles essent  
 mores; Ciuitatis antiquissima religio, sanctissimis  
 institutis fundata Ecclesia; Diœcesis oprimè pia  
 Patres Capitulares sapientissimi; Ecclesiarum Re-  
 ctiores quàm maxime de salute solliciti, quia tamen  
 temporum iniuria, & constitutionum antiquitate  
 relaxari optima disciplina potest, Synodorum con-  
 uocationem claris vocibus insinuabant, quibus so-  
 lis non fædisima diaboli tantum sophismata, in-  
 ferni semen fetidissimum è Christianorum sinibus  
 eradicantur, & extirpantur, sed & mala cognita,  
 quæ sunt, auferuntur, & quæ temporum procurfu,  
 & hominibus ad deuesam caniciem tanquam ad



capulare quoddam lenium properantibus, suboriri possent, impediuntur, ut non in presentium magis subsidium, quam in futurorum anteaambulam præcautionem deseruiant. Enarrabat mihi Perillustri, & Reuerendiss. D. Fagnanus Sac. illius Congregationis à secretis, vir eruditione, ac pietate non postremus, dum temporis fallendi gratia aliquando simul colloqueremur, ab se obseruatum fuisse, per multas Diœceses, quæ quotannis huic Sancto, & apprime salutare instituto operam dabant, cò in Christianis moribus, & Ecclesiastica disciplina profectos fuisse, ut siue illius Cleri deuotio, siue populi pietas, siue Ecclesiarum cultus spectarentur, vberriimos ex hac segete fructus ad eorum salutem, & Dei gloriam collegisse videretur: Inter alios Illustriss. & Reuerendiss. summæ, & exactæ Religionis Prælulem huius Mediolanen. Prouin. Archiep. & S. R. E. Card. FEDERICVM BORROMEVM S. CAROLI successorem & consanguineum dignissimum in medium afferbat, a quo non regiminis exempla tantum delumerentur, quæ præferebat maxima, sed quem in Synodorum vltimo annuo cæteri sequerentur; prout Illustriss. & Reuerendiss. Antistitem hunc nostrum PAVLVM ARESIVM, maturo consilio, studiosa opera, continuo labore, accurato progressu demonstrare obseruabat sacer ille purpuratorum Senatus Sancti Concilij interpretæs ab Ecclesiæ



fixa capite summo delectus, & eundem propterea  
 singulari laude commendatum, nobis dicecesanis,  
 cui obediremus, cæteris, quem imitarentur, post-  
 modum proponebat, affirmans non tam nobilissi-  
 mo, & Illustrissimo ARESIORVM ortu, quàm  
 præclaris eius in omni scientiarum genere virtuti-  
 bus, in Urbana Curia, in Orbe scilicet toto ab Ec-  
 clesiæ Principibus, & ipso Pontefice maximo præ-  
 cipue extolli. Est sacra Synodus Aud. disciplina,  
 vera, custos spei, retinaculum fidei dux itineris sa-  
 lutaris, fomes, & nutrimentum bonæ indolis, ma-  
 gistra virtutis, est carcer desideriorum, frænum la-  
 sciuiæ, iugum elationis, vinculum iracundiæ, quæ  
 domat intemperantiam, leuitatem ligat, & omnes  
 inordinatos motus, mentisq; illicitos appetitus suf-  
 focat. Si laxatis habenis religiosus rigor intepuit,  
 ac prono cursu, & præcipiti verius prolapso in supi-  
 num omnium propè neglectum ruimus, sola Sy-  
 nodus frenat, sola restituit: Si iudicia profiliunt  
 critica, quædam inprimis, inde vniuersim omnia  
 damnantia, dum surgunt impedit, iam facta sub-  
 mouet Synodus; Si rerum spiritualium quædam  
 quasi nausea, animiq; ad salutaria languentis fasti-  
 dium generatur, corroborat Synodus: Si intep-  
 scit virtutis studium, & qui ante etiam de genu pu-  
 gnabat, nunc vel solo eminenti terrore timet, Syno-  
 dus firmat: Si religiosæ disciplinæ neglectus, ora-  
 tionis tepor oritur, ac spirituales progressus frigu,



geluq; ad externa diuertuntur, insurgit Synodus, & sua arte medetur: Si totus homo in omni prope-  
 ram domestico, quam externo congressu sæculum magis, quam religionem sapit, & loquitur, suble-  
 uat Synodus: Ex Synodo tantus emicat Christianæ disciplinæ splendor doctissimorum Patrum eò cõ-  
 currentium, multiplices ad eò, proceræ, & generosa, fructibusque fœcundæ arbores exiliunt, vt om-  
 nes gentes, & nationes vberissimo fructu repleant, easque lætificent. Per geminas illas à Noemi filijs post diras terrarum eluiones erectas columnas, vt memoria traditum est, recte Synodi, & Concilia, intelliguntur, sicut enim illarum altera erat lateritia contra ignes, altera contra imbres, & in vtraq; scientiæ pulcherimis caracteribus incisæ conseruabatur, ne si rursus terra imbribus obrueretur, aut, quod aliquando futurum prædixerant, ignibus conflagraret, rerum præsertim cælestium cognitio, quàm à Noemo acceperant, interiret, sic in Synodis, & Concilijs sacra studia perpetuò valituris constitutionibus proponuntur, quibus, & ab ignitis infestissimi humani generis hostis diaboli telis defensa, & à procellarum turbinibus, aquarumq; inundantium fluctibus, quibus rem Christianam absorbere conantur hæretici, salua vtque in finem remanet Ecclesiastica veritas. Vel propriis accedendo dicamus, per illas alias geminas è Coelo diuinitus demissas columnas ignis, & nubis,

eadem



eadem sacra Concilia fuisse figurata, sicut enim ille  
 hebreorum populo tunc per desertum proficiscenti  
 deseruiebant ambæ, ea scilicet, quæ ignis erat pro  
 lumine in nocte, quæ nubis pro vmbraculo aduer-  
 sus solis æstus in die, sic Synodus Sancta, homines  
 per mundum quasi per desertum proficiscentes, &  
 sancti spiritus igne depulsis errorum tenebris, &  
 fidei veritate sub nube edocta, ad salutis portum, ad  
 cœlestem scilicet gloriam perducit. Fluvius est ille,  
 quem de ipsius Dei sede emanantem vidit Ioannes,  
 clarissimas continentem aquas, & ex vtraque flu-  
 minis parte vitæ lignum irrigans, quod fructum in  
 singulis mensibus dabat, & folia horti ad sanitatem  
 gentium; Sinodus enim ab ipso diuino numine pro-  
 cedit, clarissimam docet veritatem, aqua sapientiæ  
 sanctam sæcundat Ecclesiam, vitam parat æternam  
 & siue in mundo, siue in Cælo diuinæ gloriæ, & hu-  
 manæ salutis fructus producit in tēpore. Mons est  
 pinguis frugifer, sæcundus, pulcherimus, herbis, &  
 floribus odoriferis cōsitus, qui altitudine misterio-  
 rû, pulchritudine maiestatis, gratiarû sæcunditate,  
 sãctitatis odore subuenit Ecclesiæ, quæ per floridas  
 scripturarum sententias, quasi per Hesperidum vo-  
 luptuosiss. hortulos diuagando eius depascitur fru-  
 ctibus, & doctrinæ odore reficitur, & recreatur. Nō  
 est vna utilitas Synodorû, innumere sunt propè in-  
 finitæ, & dum aliquæ recententur, quæ supersunt,  
 abundant; Oleum est surgens in pabulum lumi-  
 nis,



nis, in medelam vulneris in refectionem esurien-  
tis; Vinum est cor hominis lætificans, panis con-  
firmans, caro nutriens, lac coagulans. Totum est,  
quod, vel pro rationis usu, vel pro vitæ moribus,  
vel pro regendi disciplina, vel pro animæ salute, vel  
pro ipsius Dei gloria hominibus tradi potest. Ma-  
teria est, quæ Episcopum habet tanquam caput, &  
Presbyteros, ac Ecclesiasticos reliquos tanquã sub-  
ordinata membra, quæ mutuam ad se relationem  
habentia, compositum corpus reddunt perfectum,  
& ad id, ad quod destinatur, intentum. Forma est,  
quæ Spiritum sanctum continet, qui intimo quo-  
dam afflatu à copiosissimo Divinæ maiestatis fonte  
vberime emanans, ac congregatos illustrat, vt or-  
thodoxas sanctiones ab erroneis prauitatibus opti-  
mè segregare queant, & candidam fidei doctrinam  
ad Ecclesiæ profectum, ac animarum commodum  
edocere. Synodorum necessitatem, & utilitatem  
per me hæcenus concludentissimis, ni fallor, argu-  
mentis demonstratam audistis. Reliquum nunc  
est, vt, & eadem utilitate inducti, & necessitate co-  
acti, totis viribus, prompto animo in conuocatam  
Synodum incumbamus, candidè, sine vlla assenta-  
tione, cum modestia, & charitate, ac etiam de alijs  
bene merendi propensa volûtate loquamur. Loqui  
quidem liberè debemus, vtpotè quod veritas, fides,  
& libertas sit propria, & naturalis norma Synodo-  
rum, & in Tridentina sæpius a Patribus exclama-  
tum



tum legimus, liberè loquendum, liberè loquendū.  
 Absit autem ab hac libertate audacia, absit mētus,  
 absit amor, absit odium, absint omnes priuatę cau-  
 sę, quarum aliqua nec retardari, nec languidiores  
 reddi ad proponendum, respondendumue, quod  
 publicę vtilitati deseruit, debemus. Meminisse nos  
 oportet, nihil rebus humanis inesse, quod non fiat  
 vetustate deterius, nisi assidua cura naturę vim  
 quamdam afferat, & quantum temporis diuturni-  
 tas detrahit, tantum quotidianus labor adiungat.  
 Semina longo tempore selecta, & probata vitian-  
 tur, & exiliora fiūt, nisi in singulis annis arator opti-  
 ma quęquę, & robustissima seponat. Greges im-  
 becilliores in dies euadunt, nisi ~~Patrum~~ Patrum,  
 patrumque corpora sæpe uentant ad ipem prolis  
 propagandę. Ipsę Respublicę quamuis potentissi-  
 mę nisi orientia quotidie mala disciplinę seueri-  
 tate corrigantur, nequeunt esse diuturnę. Summa  
 igitur contentione nobis agendum est, atque præ-  
 stanti animo cum profluentia conditionis huma-  
 nę reluctandum, ibique brachia extendere vehe-  
 mentius, vbi cursum annis incitatioem videmus.  
 Pastorem habemus, cuius summa est, & propter  
 vitę sanctitatem, & propter facultatem ingenij, &  
 propter doctrinę abundantiam, apud omnes au-  
 ctoritas. In ipso dominium residet, ei imperandi  
 ius competit, ab eius voluntate, & netu omnia pen-  
 dent, ad eius purgatissimum iudicium confugien-  
 dum



dum est, & illius auctoritati obtemperandum. Is vigilat animo, in orationibus, & studijs pernoctat, rore hoc vitali é Synodis emanante non alit, hostiũ insidias sagaciter explorat, malignatium preuidet consilia, deprehendit laqueos, cludit tendiculas, retinacula dissipat, machinationes destruit, & dolos. Is spretis frigore, & æstu, nullis laboribus perterritus, nullis offensus incõmodis, nullo occupatus obstaculo vniuersã Diocesim ipse visitauit, prout res postulabant, prouidit; spiritu, & charitate instruit, aspectu, & contuitu recreat, iusta, & sancta intentione gubernat, pura, & simplici fide custodit, sacris, & eruditissimis predicationibus, veluti copiosis peregri-  
 nis uberibus lacte affluentibus, nos suæ Ecclesiæ filios enutrit, & educat. Perge igitur Tu bone Pastor, perge alere, tueri, sanare, gregem tuũ, & cuius causa IESVS CHRISTVS princeps pastorum omnium sanguinem, & vitam sua spõte profudit, in eius Tu salute conseruanda noli defatigari. Vos vero Patres incumbite obsecro, incumbite in eam curam, quæ est maximè propria, cum muneris, & officij, tum sapientiæ vestræ, & in omnes beneficentiæ, vt post huius læculi labores, sempiterna, ac beata vita cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto vno Deo perfruamur, cui in omnem æternitatem gloria, & imoerium debetur. Dixi.

F I N I S





